

¶salmus 108

DEUS, laudem meam ne tacúeris : *
 quia os peccatóris,
 et os dolósi super me apertum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolosa,
et sermónibus ódii circumdedérunt me : *
et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me diligenterent, detrahébant mihi: *
ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis : *
et ódium pro dilectióne mea.

Constitúe super eum peccatórem : *
et diábolus stet a dextris eius.

Cum iudicátur, éxeat condemnátus : *
et orálio eius fiat in peccátum.

Fiant dies eius pauci: *
et episcopátum eius accípiat alter.

Fiant filii eius órphani: *
et uxor eius vídua.

Nutántes transferántur filii eius, et mendícent: *
et eiciántur de habitatióibus suis.

Scrutétur faenerátor omnem substántiam eius : *
et dirípiant aliéni labores eius.

Non sit illi adiútor : *
nec sit qui misereátur pupíllis eius.

Fiant nati eius in intéritum : *
in generatióne una deleátur nomen eius.

**In memórlam rédeat iníquitas patrum eius
 in conspéctu Dómini : ***
et peccátum matris eius non deleátur.

**Fiant contra Dóminum semper,
 et dispéreat de térra memoria eórum : ***
**pro eo quod non est recordátus
 faceré misericórdiam.**

Et persecútus est hóminem ínopem et mendícum, *
et compúncutum corde mortificare.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei : *
et nóluit benedictiónem, et elongabitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, *
et intrávit sicut aqua in interiora eius,
et sicut óleum in óssibus eius.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur : *
et sicut zona, qua semper precíngitur.

Hoc opus eórum,
qui détrahunt mihi apud Dóminum : *
et qui loquúntur mala adversus ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine,
fac mecum propter nomen tuum : *
quia suávis est misericordia tua.

Líbera me, quia egénus et pauper ego sum : *
et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra, cum declínat, ablátus sum : *

et excússus sum sicut locustae.

**Génua mea infirmáta sunt a ieíúnio : *
et caro mea immutáta est propter óleum.**

**Et ego factus sum opprórium illis : *
vidérunt me et movérunt cápita sua.**

**Aduiva me, Dómine, Deus meus : *
salvum me fac secundum misericórdiam tuam.**

**Et sciant quia manus tua haec : *
et tu, Dómine, fecísti eam.**

**Maledícent illi, et tu benedíces : *
qui insúrgunt in me, confundántur :
servus autem tuus laetábitur.**

**Induántur qui détrahunt mihi, pudóre : *
et operíántur sicut diplóide confusióne sua.**

**Confitébor Dómino nimis in ore meo : *
et in medio multórum laudábo eum.**

**Quia ástitit a dextris páuperís, *
ut salvam fáceret
a persequéntibus animam meam.**